

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

V.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

nus mox initio est inverfa & transfigurata ex optima forma imaginis Dei in pessimam, quæ est jam imago Satanae: & præterea, quatenus etiam regitur & agitur à suo isto hero aut Tyranno, Satana, & sub cujus potestatem tanquam vendita est, ejusque habitatio effecta, donec per filium Dei inde potenter redimatur.

X. Solus Deus verè condit ac creat naturas omnes: sed corrumpere & pervertere eas ex optimis in pessimas potest, non solum Satan, sed etiã homo: adeo ut fermè nihil facilius sit, quam bonas Dei creaturas in pessimas seu pessimam formam transformare & quasi transfigurare.

XI. Talem transfigurationem dico à Satana in anima rationali, non tamen omnino sine sententia maledictionis, ac penè mortis ab irato Deo inflictæ, effectam: & hac ratione istam corruptam esse à Satana.

V.

S Clariss. D. Doctor. Si forte per occupationes à prandio licebit, ad te vèniam, collaturus tecum amanter & fraternè de rebus ad negotium institutum maximè pertinentibus, & quemadmodum nudius tertius animadverti, vobis in Superiori Germaniã non ita probe perspectis, quas scire plurimum interessè videtur, quo facilius & verius de his judicare & pronunciare liceat, præcipue cum nemo videri velit unquam ullam aquam perturbasse, & à regiã via declinasse, cum Thaide Ro. rem habuisse, Bestiam & imaginem ejus adorasse, characteremque ejus in frontibus recepisse, sicut Apocalypf. loquitur. Certè non omnes ita mundi sumus, quemadmodum videri volumus. Qui lapsi sunt, agnoscant, fateantur & damnent errores, quos sparserint, non probent ac defendant, aut extenuent, quasi non ita magni momenti sint, propter quos aliquid in Ecclesia movendum sit, & conjunctio Doctorum in Ecclesiis nostris dissuenda. Sed de his & aliis coràm & plura. Si per oçium licere poterit, rogo me certiore facias, ut mecum adferam ea, de quibus proxime dictum est, si quidem ita tibi videbitur, & inter nos modeste ac pie conferre liceat absq; ulla profopolepsia. Bene vale ex hospitio nostro.

T.

Basilii Monner, D.

VI.

S In Christo. Optarim quidem, ut liceret nobis nostra vicinia frui, & sæpè coràm colloqui, sed quia sua cuique sunt negotia, contenti simus animorù consociatione, & agamus Deo gratias, quod & vestra & nostra ecclesia in Christo
P sunt